



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. Vlt. Argumenta adversaria solvuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

transire de volente in nolentem &c. sine vlla mutatione intrinseca formali per solam mutationem virtualementem.

Præterea Verbum diuinum transit de non terminante vnionem hypostaticam intrinsecè ad terminans intrinsecè prout talis vnio distinguitur ab humanitate sine vlla additione reali distincta à Verbo; alias si ad terminandam intrinsecè vnionem hypostaticam deberet dari alia formalitas distincta à Verbo, & ab vnione hypostatica, sine dubio daretur processus in infinitum, quia etiam ad illam formalitatem, quæ est necessaria ad vnionem hypostaticam terminandam, esset necessaria alia; & ad illam alia sine fine, quia non est maior ratio vnus, quam alterius: sed hoc non est dicendum: ergo asserendum est Verbum diuinum sine vlla additione, & per se ipsum transire de non terminante intrinsecè vnionem ad terminans intrinsecè illam sine vlla additione, & diminutione reali ex parte Verbi ratione infinitæ perfectionis illius, quia neque est substantiæ adhesionis, neque inhesionis, ac proinde sine vlla mutatione sui, quod nulla creatura potest exercere, aut habere; in quo etiam relucet distinctio, & contingentia virtualis; itaque huiusmodi transitus in Verbo aperte faciliat intellectum, & persuadet efficaciter, vt intelligat bene posse contingere, vt voluntas diuina transeat de volente in nolentem intrinsecè sine vlla mutatione intrinseca formali, sine vlla additione formali, reali & diminutione realiter, ratione infinitæ perfectionis æquivalentiæ ad contingentiam, & distinctionem formalem creaturarum.

Tandem ex his omnibus patet quam sit eminens, & excellens modus defendendi libertatem diuinam, quamque facilis, vt vel ob hanc solam causam iure optimo omnibus amplectendus sit; nam si in sententia omnium Angelus potest extendi, & non extendi ad maiorem locum de minori, & anima rationalis ab vna parte ad aliam corporis, & potest definire esse in parte, in qua erat ante intrinsecè sine additione, & diminutione entitatis Angeli, & animæ, per solam extensionem virtualementem, & æquivalentiam: item si homo per eandem indivisibilem entitatem à parte rei potest conuenire, & non conuenire cum Deo propter solam distincti onem virtualementem, & æquivalentiam, quæ datur inter prædicata ipsius hominis, per quæ conuenit, & non conuenit cum Deo; & si intellectus, & voluntas diuina, diuinitas, & Paternitas possunt communicari, & non communicari &c. propter solam distinctionem virtualementem, & æquivalentiam; sicut Verbum diuinum potest terminare, & non terminare intrinsece vnionem sine additione, & diminutione formali, cur voluntas diuina non poterit amare, & odio habere? & ita amare, aut ita velle vt potuerit velle non facere mundum sine contingentia, additione, & diminutione formali, per solam contingentiam virtualementem, & æquivalentiam, & per additionem, & diminutionem æquivalentem? certe nulla potest assignari ratio disparitatis: ergo si fundamentum non est nonum in Theologia, sed potius antiquissimum, ab ipsisque aduersariis summo applausu, maximisque laudibus, & encomiis ad cælum vsque elatum, ad quod tanquam ad suæ felicitatis palladium confugiunt, vt facillimo negotio, vt ipsi aiunt, soluant gravissimas, & implicatissimas difficultates; tum Dialecticæ, tum Philosophiæ & metaphysiæ, tum denique Theolo-

giæ, ac proinde tutissime tali fundamento se protegent, ad infinita mysteria fidei defendenda, & ab ipsis modis defendendi in illis locis fundata duntaxat huic fundamento facillime appellatur.

Sine dubio noster hic modus, quicquid principio, ac eodem fundamento, eodemque modo applicato defendendi actus liberos Dei innitens, & fundatus facillimus erit, imo facillior omnibus, in quo & dignitas & summa perfectio Dei defenditur, & luminis naturalis leges observantur, ac tandem bonæ Philosophiæ, ac Theologiæ principia ad vnguem defenduntur: immo, quod homines sapientia, & scientia præditi consequentiaque, & acutius obseruantes hic oppugnent quod alibi totis viribus propugnant, & hic labefactare contendunt fundamentum, quod in innumeris alijs locis ita defendere conantur, vt si illud deferant sine dubio omnia eorum placita funditus corrumpant, quapropter si difficultatem habet in hac materia, si intelligibilis est, vt ipsi aiunt, hæc discurrendi via intelligibilis erit tota Dialectica, inconuenientijs, & disconuenientijs prædicatorum intelligibilis erit philosophia in extensione virtuali animæ rationalis, & alijs id genus. Tandem intelligibilis erit tota Theologia, & defendendi modus omnium Theologorum in mysterio Trinitatis, immensitatis Dei, incarnationis Verbi diuini &c. ne igitur hæc dicantur, sine dubio asserendum est, modum quo in præsentia defendimus mysterium actuum liberorum non solum non esse intelligibilem, imo neque difficilem in hac materia prout distinguitur ab alijs, sed potius facillimum, suppositis dictis in alijs materijs; vnde difficultates non sunt huius loci sed aliorum, & si ibi vincuntur huc veniunt prolixius victæ, ac debilitatæ.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

AD primum argumentum Patris Hierize respondendo, totum illud fundari in falsa suppositione, scilicet quod in Deo non sit formaliter voluntas, libera volitio Dei, & necessaria volitio sui ipsius, nos enim omnia hæc formaliter existere in Deo dicimus, quia omnia hæc sunt perfectio sine imperfectione, solum enim dicimus, vt patet ex supra dictis distinctionem inter has perfectiones, contingentiam, additionem, & diminutionem esse virtualiter, & per æquivalentiam in Deo. exemplo clarissimo docletur hoc; nam in Deo formaliter datur presentia infinita Dei; extensio autem illius, diminutio, aut additio non est formaliter, sed virtualiter, & æquivalenter. Itē in diuinis datur formaliter intellectus per quem generatur Verbum, & voluntas per quam non generatur formaliter ipsum; sicut etiam datur diuinas formaliter communicata, & Paternitas formaliter non communicata; distinctio autem necessaria ad hæc non est formaliter, sed solum virtualiter. Ita similiter in Deo est formalitas amoris, odij &c. contingentia autem requisita ad libertatem, deficientia, destructio, & additio ad libertatem, deficientia, & infinito dominio formalis indifferentia, & infinito dominio ad amandum, & non amandum quando, & quomodo voluerit secundum consilium voluntatis suæ; ita vt ratione infinitæ perfectionis, & æquivalentiæ

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 415

litas divinae possit Deus per unam indivisibilem entitatem necessariam, hoc est necessario existentem; quia est plures virtualiter æquivalenter contingens, libera tamen, & indifferens formaliter amare, velle facere, vel velle non facere, odio prosequi, & dilectione afficere, ac si essent infiniti actus formaliter; quod his verbis docuit P. Ruiz tom. de volunt. Dei, disp. 13. sect. 2. num. 2. [eadem ipsa formalitas realis volitionis libera non superadditur, neque detrahitur volitioni necessariae, sed tota realis formalitas divinae volitionis maneret simpliciter eadem specie, & numero, & omnino invariata, quamvis voluisset Deus creare alios mundos vel voluisset nullum mundum creare, quia in volitione divina dantur plures quasi partes extensionis, quæ ratione ratiocinata distinguuntur, infimo gradu illius distinctionis, & hoc modo distinguuntur velle creare mundum, & velle non creare mundum, aut velle creare alios mundos, adhuc hæc perfectio quæ assertur in volitione creandi mundum, & quæ ut pars extensionis distinguitur à volitione aliorum obiectorum, non potuit Deo deesse, quin potius illi necessario convenit tam illa, quam quælibet alia perfectio cuiusque volitionis liberae possibilis.]

Itaque formaliter in Deo datur ipsa perfectio amoris liberi. & ipsa perfectio odij, à quibus formaliter constituitur Deus amans creaturas, & odio habens peccatum &c. sic saltem est dicere, amorem, & odium solum esse virtualiter in Deo, quia alias ut evidenter erit P. Herize toto n. 50. non posset denominari Deus formaliter amans, ut patet exemplis divinae essentiae, & Paternitatis, quibus utitur & evidentiarius liquet: nam ideo actus liber Dei non potest denominari contingens formaliter, quia contingentia, à qua deberet denominari non est formaliter, sed solum virtualiter in illo: sicut neque divinitas denominatur formaliter distincta à parte rei, ac proinde non constituitur in esse non Paternitatis formaliter à parte rei; quia distinctio illa inter divinitatem & Paternitatem non est formaliter, sed virtualiter solum, forma enim non aliter constituit nisi eo modo, quo ipsa est in se quia concetum dumtaxat constituit exhibendo se ipsam & non aliud loco sui, & ideo sol, licet sit lucidus formaliter, non est formaliter calidus sed maximum eminenter, aut virtualiter, quia lux, à qua constituitur formaliter in esse lucidi non est formaliter calor, sed solum virtualiter, & eminenter: ergo si Deus solum haberet formalitates amandi creaturas, odio habendi peccata &c. virtualiter, & non formaliter non constitueretur in esse amantis formaliter, sed solum virtualiter: sed de fide est, & lumine naturali evidenter demonstratum, Deum amare formaliter creaturas & odio habere peccatum: ergo in Deo formaliter est amor, & odium, & non solum virtualiter.

Item in Deo est formalis indifferentia, seu libertas ad amandum, & ad odium habendum, quando voluerit, & ad hoc ut per unam formalissimam entitatem amet, quando voluerit, & odio habeat, quando illi libuerit secundum dominium perfectissimum ad volendum facere, vel volendum non facere secundum beneplacitum divinae providentiae, à quibus formalissime liber, & indifferens denominatur, & constituitur. Itaque hæc omnes perfectiones formaliter sunt in Deo, quæ sunt formalitates immediate, & proxime denominantes; conditiones autem ad has denominationes, ut est contingentia, distinctio,

additio, & diminutio &c. de quibus late egimus supra, quia imperfectiones sunt, virtualiter tantum, & æquivalenter continentur, quod non tollit, ut formalitates primæ formaliter constituant Deum, ut sectione præcedenti manifeste declaravi: unde argumentum Patris Herize à n. 40. usque ad num. 51. videlicet à §. hac admirabilis distinctio virtualis, usque ad §. Dices, te non constituere, contra nos nullius momenti est, licet evidenter probet contra obiectiones, quas sibi ponit idem P. Herize: unde si sic defenditur à Salmantinis magistris, ut ostendit ipse Herize, opinio de actibus liberis ratione contingentiae virtualis perperam meo videri defenditur, neque possunt evadere evidentiæ argumenta contra ipsos, quapropter à me excogitatus modus defendendi, facilius, probabilior, imo verior videtur, ac proinde sequendus, in quo, si aliquam difficultatem quæras, idem erit ac in cirpo nodum quaerere.

Præterea, etiam argumentationes, quibus utitur P. Herize à num. 1. usque ad num. 53. inclusive, hoc est à §. sed contra hoc est: nam virtualis hæc contingentia usque ad §. Dices, tunc fieri, inclusive, quia solum oppugnant varias solutiones quas adducunt adversarii dicentes, volitionem liberam non esse formaliter, sed virtualiter in Deo, ad solvendum argumentum ipsius Patris, nullum nobis negotium faciunt, solum enim replica illa facta in fine numeri 53. §. sed contra, cum ais virtualiter; directe est contra nostram opinionem, & ideo necesse est ut illam solvamus, ut nihil difficultatem continens ad terga relinquamus insolutum; unde respondeo ad illam interrogationem, quando nos aimus, manente volitione deficere odium, aut volente Deo deficere volitionem, dicimus formalitatem volitionis formaliter existentem in Deo virtualiter à parte rei, seu æquivalenter deficere, unde non deficit æquivalenter id, quod solum virtualiter, aut æquivalenter existit in Deo, sed id quod formaliter est in ipso; unde definitio solum est virtualis & per æquivalentiam; formalitas autem, quæ denominatur designans formalissime est & non æquivalenter aut virtualiter; unde licet formaliter sit in Deo, & solum æquivalenter designat esse, formaliter non constituit Deum in esse nolentis; quia ad constitutionem nolentis producere v. g. Petrum, non solum requiritur quod sit formalitas volitionis, sed etiam requiritur ut neque formaliter, neque æquivalenter deficiat, & omni modo sit; nam si per existentiam formalem in Deo ratione libertatis infinitæ divinae æquivaleret definitioni formali, sine dubio ita se haberet, ac si formaliter designaret; sed si formaliter designaret non denominaret nec constitueret: ergo si æquivalenter definit, & æquivalenter definire est sufficiens ad hoc, ut se exerceat id quod æquivaleret, eo modo quo se exercet, id cui æquivaleret, ut sectione superiori late explicuimus: ergo si id, quod definit formaliter, non denominat, neque constituit subiectum, in quo definit, & à quo abest formaliter, similiter id quod illi æquivaleret in definitione, ac proinde æquivalenter definit, se habebit quoad minus denominandi, ac si vere designaret formaliter, ac proinde, licet formaliter existat, quia deficit æquivalenter non denominabit, neque constituet formaliter, sicut non denominat, neque constituit formalitas illa quæ formaliter non est; quod patet ex ipsa definitione æquivalentiæ; unde quotiescunque non impugnantur unum æquivalere alteri, non potest

potest impugnari, quod id, quod æquivalens, non possit se exercere, aut non exercere manus quod exercere id, cui æquivalens, ut verbi gratia, quia distinctio formalis à parte rei inter duos extrema tollit oppositionem contradictoriam affirmationis, & negationis, & per consequens tollit ut tales affirmationes, & negationes, constituent formaliter & denominent formaliter ipsa contradictorie opposita, ita si niliter distinctio virtualis, & æquivalentiæ facit, ut convenientia, & non convenientia non sunt oppositiones contradictorie formaliter, ac proinde facit, ut talis convenientia, & non convenientia non constituent gradus, in quibus sunt in esse oppositorum contradictorie formaliter quæ sine dubio contradictorie opposita constituerent, si neque formaliter neque virtualiter distingueretur, verbi gratia Petrus convenit per ens cum Deo, & non convenit formaliter per esse creatum, & licet formaliter sint convenientia, & non convenientia in illis prædicatis, quæ habent identitatem formalem, nihilominus tamen quia virtualiter deficit talis identitas, ex eo quod virtualiter est non identitas, seu distinctio, sufficit hoc, ut convenientia illa, & non convenientia non constituent ens, & esse creatum in esse contradictorie oppositorum.

Itaque licet aliqua formalitas formaliter existat in aliquo subiecto, non sufficit ad constituendum, & denominandum illud formaliter si ve tale subiectum sit creatum si ve increatum, tamen illi deficiat aliqua conditio, ut videre est in exemplo nuper adducto; unde cum conditio ad constituendum, & denominandum sit ut ita existat forma, ut non æquivalens non existenti aut ut non designat æquivalenter, inde est, quod licet existat formaliter, si tamen deficit æquivalenter, non denominet aut constituat formaliter subiectum in esse talis, quapropter si albedo ita esset in subiecto formaliter, & æquivalenter designaret in illo, nullo modo constitueret subiectum album formaliter, neque denominaret illud, exemplum in sententia ipsorum adversariorum est manifestum, in casu, in quo Deus poneret gratiam sanctificantem in lapide, tunc enim esset formaliter in lapide, & nihilominus non denominaret, neque constitueret formaliter lapidem gratum, & sanctum supernaturaliter, à quibus si interrogemus, cur gratia illa exhibita, & communicata lapidi non tribuat suum effectum formalem ultimum sanctitatis, & gratiæ, cum in eorum sententia non distinguatur effectus formalis à forma exhibita, & communicata subiecto? Respondent ratione in capacitatis subiecti evenire hoc, quod licet gratia secundum omnes suos gradus uniatur subiecto formaliter, nihilominus tamen æquivalenter, & virtualiter deficere unio nem gratiæ secundum formalitatem sanctitatis, & gratiæ supernaturalis, ac proinde secundum illos gradus se habere gratiam, ac si realiter formaliter non esset unita lapidi. Itaque gratia non denominat secundum gradum ultimum, nec constituit lapidem sanctum, & gratum, quia licet sit secundum illum formaliter, æquivalenter non est in lapide secundum ipsum. Denominat autem secundum rationem qualitatis, quia secundum illam ratione capacitatis subiecti est formaliter, & non deficit æquivalenter, quod totum requiritur ad constitutionem, & denominationem formalem.

Ergo similiter in nostro casu licet quando Deus vult facere mundum formaliter, sit etiam

formalitas formaliter nolitionis faciendi eundem mundum, quia deficit æquivalenter, aut virtualiter, non constituit Deum in esse nolentis formaliter, sicut constituit volentem formaliter; nam ad constituendum, & denominandum formaliter non solum debet esse formaliter in subiecto ratio constitutiva, sed etiam debet non deficere æquivalenter, aut virtualiter.

Si autem interrogas cur existente amore formali designat æquivalenter odium? respondeo, quia idem respectu eiusdem, & sub eadem ratione formali non debet habere simul formaliter, & virtualiter duos actus simul oppositos, alias Deus simul amaret, & odio haberet. Itaque existente uno opposito, debet expelli alterum ab illo, eo modo, quo opponuntur; si autem opponantur formaliter à parte rei eo modo, quo in creaturis contingit, opponit actus amoris, & odij propter distinctionem realem formalem, quam habent inter se, existente amore formaliter, necesse est expelli odium ab illo formaliter. Si autem actus odij, & amoris, volitionis, & nolitionis non opponuntur formaliter, sed solum virtualiter, ut contingit in actibus divinis, quia solum distinguuntur virtualiter, (nam eo modo, quo fuerit distinctio, quæ est genus ad oppositionem, quæ est species distinctionis, erit oppositio; nam eo modo est species, quo est genus) solum excluduntur virtualiter, & non formaliter, quia exclusio sequitur naturam oppositi, quia est effectus oppositionis; si autem iterum interrogas, cur potius habeat amorem tam formaliter, quam æquivalenter, cum possit etiam habere odium? Respondeo, causam esse quam tribuit Anselmus supra lib. de casu Diaboli cap. 27. interrogatus enim à discipulo illis verbis: [cur ergo voluit potius, quam odio habuit, (Respondet) non nisi quia voluit, nam hæc voluntas nullam aliam habuit causam, quæ impelleretur aliquatenus, aut attraheretur, sed ipsa sibi causa efficiens fuit; si dici potest effectus.] quæ supra late explicui.

Ex his omnibus patet quam facile solvantur argumenta contra nostram sententiam adducta à Patre Herize.

SVBSECTIO I.

Argumenta Patris Alarcon solvantur.

Ad primum argumentum nego antecedens, seu sequelam Maioris; ad probationem illius nego ideo Deum dici, & esse liberum formaliter, quia est contingens virtualiter, aut deficit virtualiter ut patet ex supra dictis, tum in probatione nostræ conclusionis, tum in responsione ad argumenta Patris Herize; nam Deus dicitur liber formaliter propter indifferentiam formalem ad amandum, & non amandum tanquam per definitionem, & prædicata formalia formaliter constituentia Deum in esse liberi; unde tota formalis essentia libertatis divinæ consumatur, & consistit non in prædicatis virtualiter contentis in ipso, sed potius in prædicatis formaliter amantibus in Deo videlicet, indifferentia formalis amanti, vel odio habendi &c. in potestate formalis, seu dominio formaliter contento in Deo, quo potest ipse velle facere, & velle non facere, & nolle contingentia autem virtualis, aut efficientia libertatis non est constitutum formale divinæ libertatis.

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 417

tatis, sed solum conditio, aut requisitum ad usum talis libertatis, & sic nihil interest, ut solum virtualis sit, & non formalis ut late supra diximus *subiect. superiori* in responsione ad argumenta, & *sectione precedenti* in probatione nostrae conclusionis, ubi manifeste docuimus, in quo differat contingentia ab indifferentia, & quomodo haec constituat Deum formaliter, quia est formale praedicatum; contingentia autem non constituit in esse liberi formaliter Deum, quia conditiones ad alicuius exercitium non constituunt formaliter ea, ad cuius usum requiritur; unde apprehensio non constituit voluntatem in esse talis, neque volitionem, quia non est praedicatum formale voluntatis, sed solum conditio, aut requisitum ad usum illius. Item approximatō non est constitutiva causae efficientis, quia non est vis productiva formaliter, sed solum conditio ad usum talis virtutis; conditiones autem, licet saepe petantur formaliter, sapissime sufficiunt virtualiter existere ut videre est in distinctione virtuali, quae est conditio ad mysterium Trinitatis, ut saepe iam dixi, unde totum argumentum huius auctoris manifestae deceptioni, & fallaciae innititur, & apparenter procedit confundendo constitutivum formale libertatis cum conditione requisita ad usum illius; quapropter revelata hac fallacia, penitus dissipantur syllogizationes illi fundatae; unde facillime omnia quae ab hoc principio pendent diluuntur, ac dissolvuntur, quapropter ad probationem qua intercedit persuadere paternitatem divinam, & spirationem activam esse accidentia vera, quia se habent ac si acciderent, & inhaerent Deo; respondeo clare & evidenter.

Ad hoc ut aliquid sit accidens formaliter & vere, non solum habere debere inhaerentiam virtuale, aut aequivalentem entitatem virtualiter secundario accidentem; sed potius debere habere haec praedicata formaliter, quae saltem aptitudinalis inhaerentia, & secundarius conceptus, vel hoc quod est secundario constituit sunt praedicata formaliter constitutiva accidentis, aut definitio illius; definitio autem, & praedicata essentialia primo constitutiva rei in tali esse formali formaliter debent esse talia, & non solum virtualiter, & aequivalenter, alias tu posses esse homo formaliter per animal rationalem virtuale, aut per aequivalentem rationalitatem, & animalitatem, quod est contra lumen naturae ut iam supra probauimus, quapropter in tua sententia, qua doces voluntatem divinam, & intellectum esse principium virtuale, à quo fluunt virtualiter intellectio, & volitio, non potest vlllo modo affirmari intellectionem, & volitionem vere formaliter & realiter esse productas à voluntate divina, cuius nulla alia ratio potest assignari, nisi quia licet dentur in voluntate & intellectu volitionis, & intellectionis emanationes virtuales, non dantur formales productiones, quod aliter contingeret, si in diuino intellectu daretur formalis productio; tunc enim formaliter produceretur intellectio, & volitio à Deo, & formaliter constitueretur in esse producta intellectio diuina, quia formaliter daretur ratio constitutiva illius.

Ita similiter in nostro casu, licet spiratio activa & Paternitas diuina nostro modo concipiendi, & virtualiter secundario accedant ad Deum, ac proinde se habeant, ac si inhaerent (quod adhuc per rationem nego in paternitate, quia

est personalitas, de cuius conceptu est ultimum complere personam substantialem ac proinde primo constituere illam in esse talis, licet hoc possum concedere de spiratione activa) quia tamen formaliter non inhaerent, nec formaliter possunt inhaerere à parte rei, ideo non sunt accidentia vera, & realia, quia definitio non debet esse solum virtualiter, sed potius debet esse formaliter; unde si spiratio actiua haberet aptitudinalem inhaerentiam formaliter à parte rei & vere, ac formaliter inhaereret, etiam si solum virtualiter distingueretur à diuinitate, vel solum, quamcunque aliam conditionem ad talem aptitudinalem inhaerentiam vel aduenientiam, seu accessum secundarium, ut ita loquar, haberet, aequiuallenter posset vocari accidens verum, & reale, quia licet haberet conditionem virtualiter, quae formaliter non constituit, nihilominus haberet primam constitutivam accidentis, & definitionem illius formaliter; sed in praesenti nullum praedicatum primum, neque definitionem accidentis habent relationes diuinae formaliter, sed solum virtualiter, & aequiuallenter: ergo duntaxat possunt in tua sententia vocari accidentia virtualiter, aut aequiuallenter; & in mea spiratio actiua maximum poterit dici se habere nostro modo concipiendi, ac si esset accidens, in quo nulla audacia ut perperam docet Alarcon *s. illud obserua, numer. 10.* quia si possumus dicere Deum habere extensionem, & diuisibilitatem virtualem, & dicimus Deum esse extensum, & diuisibilem aequiuallenter, esse summam perfectionem Dei, etiam si diuisibilitas, & extensio formalis in ordine ad locum sit summa imperfectio repugnans ipsi, quod tu millies affirmas, & omnes Theologi vno ore fatentur, sicut etiam dicunt de Angelo, & anima rationali, quia alias si Deus non haberet talem extensionem virtualem, sed omnino tam aequiuallenter, quam formaliter esset indiuisibilis, nullo modo posset Deus esse immensus, neque praesentia infinita, quasi extenderetur per omnem corpora sine vlla diuisione, & discretione praesentiae.

Item si concedit tota Societas distinctionem virtualem realem, & aequivalentiam inter diuinitatem, & relationes, inter attributa diuina, & inter intellectum, & voluntatem, ut possit dari mysterium Trinitatis, ac proinde dicit iure quidem optimo huiusmodi distinctionem utpote maxime necessariam Deo esse maximam perfectionem, etiam si concedere distinctionem realem formalem à parte rei inter supradicta praedicata, esset haereticum, quia attribueretur Deo summa imperfectio. Tandem si conceditur à te, & ab omnibus, quaedam successio & minimum diuisibilitas virtualis, ac per aequivalentiam aternitati diuinae, ut possit esse mensura omnium rerum, tam successuarum quam permanentium, & ideo verbis de praeterito, praesenti & futuro loquitur Scriptura de Deo, dicens *Ioan. 1.* In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: ecce praeteritum imperfectum; & *1.bris Sapientiae* loquens de Verbo diuino: ad initio creata sum; & ut legunt Augustinus Tertulianus, & alij, creata fui; unde grauissimi Doctores interpretantur, & explicant nomen *Geoba* celsitimum apud Habraos per haec tria tempora verbi substantiui, sum; qui fuit, qui est, qui erit; ut videre est in sapientissimo

GGg Patre

Patre Alcazare, vnde apud Græcos Thetagramaton appellatur, hoc est trium litterarum, aut trium verborum.

Quid nimirum, quod Deo tribuamus accidentia virtualiter, & æquialenter loquendo de diuinis perfectionibus, quæ substantiæ formaliter sunt, ac si essent accidentia, siquidem ita expresse loquitur D. Cyrillus libro 11. *Theſauri*: his elegantibus verbis: | sapienter certe dicitur, nihil accidere substantiæ Dei, quoniam in se ipsa perfecti est, sed tamen cogimur nonnunquam quasi accidentia, etiam si non omnino accidentia Deo, hæc dicere & mente accidentium modo concipere,] & paulo infra, [multa huiusmodi sunt quæ accidisse Deo videntur;] & similem doctrinam habet Augustinus libro 5. de *Trinitate*, capite 16. Anselmus in *Monologio*, capite 24. & D. Dionysius de *diuinis nominibus*, capite 9. & ratio est manifestissima; nam quod in creaturis formaliter sumptum imperfectio est, in Deo virtualiter, æquialenter, & eminenter consideratum summa, & infinita perfectio est; sicut quod in lapide, igne, terra, & cæteris inanitate, & sine vita est, quatenus continetur in Deo Creatore illorum perfectissima vita dicitur secundum illud *Joan.* 1. [omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, &c.] quapropter licet esse lapidem, equum, formicam formaliter sit imperfectio, nihilominus tamen esse omnia hæc æquialenter, eminenter, & virtualiter summa perfectio est; Ita similiter esse accedens formaliter imperfectio est, esse autem accedens eminenter virtualiter, & æquialenter, non imperfectio, sed potius perfectio summa est in Deo, quapropter non qui ita loquitur, vestigiis Patrum inhærendo, Theologiæ, & bonæ philosophiæ iura obseruando potest dici audacter loqui, sed potius qui ita qualificando hunc modum loquendi non solum probabilem, sed etiam necessarium maxime ad gradus perfectionum diuinarum distinguendos, quomodo enim intelligere possemus, Paternitatem diuinam esse personalitatem constitutam Patris in esse personæ, & & spirationem actiuam non esse constitutam Patris quatenus distinguitur à Filio; sed potius esse communem Patri, & Filio, vt hæc personæ iam constitutæ in esse personarum producant Spiritum sanctum tanquam vnum principium, & referantur ad illum, nisi concipiamus Paternitatem diuinam, vt relationem transcendentalem, & substantialem, spirationem autem actiuam vt prædicamentalem & accidentalem relationem secundario aduenientem, & non constituentem personam; sed potius accedentem iam personæ constitutæ per paternitatem; vnde cum relatio spirationis actiue licet sit ipse Deus, ac proinde substantia perfectissima, quia tamen se habet ac si esset accedens, vocatur accedens æquialenter, quod idem dicimus de volitionibus liberis Dei, quia æquialenter & virtualiter adsunt, & absunt diuinæ voluntati præter correptionem illius.

Itaque si tu modum loquendi Patrum, & Theologorum omnium audaciam appellas, sine dubio in eandem qualitatem quam aliis appingis, & in eandem notæ plagas tete induis manifeste, memento loci Concilij Constantiensis, à nobis adducti in Philosophia, disputat. de *indivisibilibus*, questione. *Virum quantum componatur ex illis?* vbi sacrosanctum œcumenicum illud Concilium grauiter qualificauit, & reprehendit propositionem Vvicleph & Ioannis Hus, quia qualificauerunt,

& docuerunt dicentes, quantum componi ex indivisibilibus, esse errorem philosophicum, quia vt ipsum Concilium docet, non minus periculosum est in Ecclesia catholica, quia scandala, & seditiones creat, errores, & propositiones nouas introducere sine fundamento rationis, & auctoritatis, quam sine fundamento qualificare modos opinandi, & loquendi probabiles, scholasticorum, & Sanctorum Patrum, vt tu in præsentia facis, audaciæ nota afficiendo, quod certe nequam contingeret, si magis Sanctorum Patrum ac Theologorum doctrinæ, & studio incumberes, eorumque opera assidue præ manibus verberes, ac in euoluendis eorum operibus ac libris diligentia operam nauares; vnde non solum non audacter proceditur, sed potius maxime moderate, temperate, ac theologicè proceditur dum dicimus in Deo non formaliter; sed virtualiter, eminenter, & æquialenter dari accidentia, quare Patres, & Doctores, quando negant, dari in Deo accedens, non loquuntur de accedente virtuali, eminenti, & æquialenti, sed de accedente formali, quia hoc, vt sæpe diximus, & probauimus, imperfectiorem includit; illud vero summam eminentiam, & excellentiam, & infinitatem diuinæ perfectionis indicat, quibus euidenter solum manet argumentum primum huius Auctoris à §. sequitur ex illa eadem certitudine, usque ad §. hanc consequentiam probat, usque ad finem illius.

Nec minus friuolum est inconueniens illud, quod contra nos eruiere intendit, numero 12. à §. Probo ulterius Deum quoque dici verè, & propriè peccatorem, usque ad §. illud Obsorua à Recentioribus; nam totum fundamentum huius Auctoris ad illud inconueniens eorumdem ex nostris principiis est falso putare, nos ideo attribuire Deo libertatem formaliter, quia solum tribuimus ipsi virtuale aliquod prædicatum, siue contingentia, siue distinctio, vt iam vidimus, quod omnino alienum est à nostra mente; nam licet ad saluandam libertatem formalem in Deo, & ad vsum eius populus pro conditione contingentiam & distinctionem virtualem, nihilominus tamen ad constitutionem, & definitionem formalem eius libertatis non ponimus prædicata virtualia; sed potius formalia potestatis ad vtrumlibet indifferentiæ formalis ad amandum, vel non amandum, item formalis dominij.

Ex quibus recte colligimus constitutionem formalem diuinæ libertatis, quia ex prædicatis formalibus recte colligitur formalis constitutio aliquid vt ex diuinitate formali; & paternitate formali existentibus in Deo, recte colligitur formaliter Pater in diuinis, quibus positis.

Amice à te interrogo, quæ prædicata formalia peccati reperias in operibus Dei, quatenus ipsius sunt, vt ex illis colligas, Deum esse formaliter peccatorem: certe nulla reperies, neque assignabis; nam concurrere vt auctorem vniuersalem cum concursu indifferenti, & decreto quasi conditionato, de quo infra ago, latissime, dum oppugno prædeterminationem physicam Thomistarum, eo quod Deus teneatur ad tali modo concurrendum ex vi suæ prudentissimæ providentiæ, & ex vi legum vniuersalis. Provisoris, & gubernatoris ad libertatis creatæ iura intacta, illibataque seruanda, non solum non peccati macula, imo neque vestigium; sed potius summa perfectio perfectissima ratio vndequeque splendet, circumfususque suæ claritatis radiis, hæc tenebræ,

Quaest. II. In quo consist. actus liber Dei. 419

tenebrae, quas nostrae sententiae offundere conaris, funditus dissipantur, dissipataeque penitus evanescent: ergo ex tali modo procedendi divinitus quem nostra fides docet, & nos constanter amplectimur, male arguis ad eruendum Deum dici formaliter peccatorem; nam si Deus ita operando privaretur in suo actu rectitudine debita, non solum virtualiter, sed etiam formaliter, posset recte colligi, talem actionem esse peccaminosam, quod certe non potest dici; siquidem tantum abest, ut actio, & voluntas divina concurrerent cum peccatore ad materiale peccati privetur formaliter rectitudine debita, quin potius rectissima, & ordinatissima sit, ut ex infra dicendis *disputatione de omnipotentia, & concursu divino*, amplius, & evidentius patebit: igitur falsissima est, non solum secundum veritatem, aut principia omnium communia, sed etiam secundum haec particularia nostra dicere Deum esse peccatorem, eo quod tali modo debito providentiae divinae concurrat Deus, quia nullum formale praedicatum peccati habet, sed potius summam rectitudinem continet formaliter, etiam si modus concurrenti creaturae circa ipsum peccatum, peccatum sit formaliter quia formaliter caret rectitudine debita actui, aut quia dissimulata est rationi secundum varias opiniones Doctorum.

Itaque iam apparet clare, & manifeste falsitas fundamenti, quo innititur haec potius larva, & apparentia argumenti, quam syllogizationis vis, & verum robur, videlicet, quia tibi persuades, nos ideo ponere libertatem in divinis formalem quia asserimus, dari contingentiam, & distinctionem virtutalem, aut quia se habet Deus, ac si esset contingens cum non propter hoc, sed propter indifferentiam formalem, &c. quae est formale constitutum libertatis concedamus illam Deo; unde hoc fundamento diruto suo pondere ruit fallax machina argumenti aduersariorum, quod sane non ita contingeret, si ita esset, ut ipsi falso dicunt, nimirum si nos diceremus propter solam contingentiam virtutalem dari in Deo libertatem formalem, quod nequaquam asserimus, sed potius docemus, nullum concretum posse formaliter constitui a praedicto, quod non formaliter existit in ipso, etiam si existat aut virtualiter, aut aequivalenter in eodem.

Ergo si in Dei actione & volitione concurrenti ad materiale peccati nullum datur praedicatum formale formaliter conveniens peccato, neque formalis definitio illius, nequaquam poterit colligi, Deum dici formaliter peccatorem, etiam si per impossibile Deus ita se haberet, ac si peccaret & aequivalenter rectitudinis privationem haberet, quod omnino negamus.

Ratio est, quia adhuc supposito illo casu impossibili de aequivalentia ad peccatum non posset colligi materia formalis, sed solum virtualis, aut aequivalentia propter rationes saepe dictas.

Nunc autem probabo manifeste adhuc in illis actionibus neque aequivalenter, aut virtualiter dari malitiam, quia quotiescunque aliquis operatur ex motivo virtutis & honestatis, & coactus, ut ita dicam, & obligatus legibus & debito providentiae, iustitiae & fidelitatis, etiam si cooperetur cum alio, seu concurrat cum ipso ad materiale peccati illius, nullo modo dicitur, neque formaliter, neque virtualiter, aut aequivalenter peccare, sed potius honestissime operari quantum est ex se, quia nihil redundat malitiae peccatoris in huiusmodi operantem talibus motibus.

I. P. Tom. II.

& legibus excitatus: sed Deus ita concurrat ad materiale peccati: ergo nullo modo neque virtualiter, neque aequivalenter; neque formaliter dicitur peccare, quod exemplis manifestis demonstratur, desumptis non solum ex Deo, sed etiam ex creaturis; nam si aliquis luxuriae flammis accensus colore, aut praetextu misericordiae apparenti, motivo tamen vero intemperantiae, & ut virginem quandam pauperem, pulcherrimam quidem attraheret ad lasciviam, ei mitteret cum religioso vitae sanctitate, & integritate praedito viro mille aureos, ut suo nomine traderentur tali virgini, diceretque nuncio, hoc se facere ad sublevandam miseria illius, & ne puella illa virginitatis florem deturparet, necessitatis vi coacta, & vere intendendo ut occasione illius doni virgo ipsum admareret, & tandem posset ipsius corpore frui; certe in hoc casu religiosus internuncius tradens nomine lascivientis aureos supradictos ad materiale peccati concurreret, quia autem ex motivo honestatis & legibus charitatis coactus ita operaretur, nullo modo peccaret, sed potius virtuosae, sanctae, & prudentis se gereret, in quo casu neque formaliter, neque aequivalenter daretur peccatum ex parte cooperantis materialiter. Item certissimum est in Theologia morali, seruum materialiter cooperantem ad Domini peccatum coactum tamen minis, & imperio severo Domini, verbi gratia, admovendo scalam parietis, cartam veneream aut lasciviam plenam deferendo non peccare: ergo manifeste sequitur, non dari peccatum, neque aequivalenter ex quacunque cooperatione materialiter concurrentis, dum tamen ex debito honesto, & obligatus legibus iustis concurrat qui ita operatur.

Sed Deus tunc concurrat ad materiale peccati ex debito fidelitatis, & providentiae, & ut muneri universali gubernatoris satisfaciat, quod ex se petit, ut iura libertatis creaturae intellectualis illata maneant; praecipue, quia Deus sic cooperans non suadet, ut periculosè docet ipse Alarcon, num. 14. §. *Deus ergo sic suadens*; sed potius imperat oppositum inferni cruciabitur aeternis ante oculos peccatoris propositis, ne sese peccatorum ceno ingurgitet, imo ut oppositum suadeat efficaciter, videlicet virtuosae opera, immensa beatitudinis praemia offert & promittit: ergo nullo modo virtualiter, aut aequivalenter peccat Deus.

Item quia ut dicatur dari peccatum aequivalenter in aliquo, debet dari in illo proprium exercitium peccati; nam id quod aequivalenter alteri ratione aequivalentiae exerceat id quod alterum, cui aequivalenter, exercere potest, ut supra late probavimus; sed exercitium proprium peccati est facere personam peccantem dignam odio Dei, immundam, & inimicam ipsius expellendo ab ipsa sanctitate, iustitia & puritate, ut ex fide catholica, & sana Theologia constat; quapropter si aliquis non se ita habeat, ut in se hos effectus proprios peccati experiatur, dum ita operatur, non potest dici aequivalenter peccare aut rationem peccatoris virtualiter inducere; sed Deus nullo modo potest experiri in se, dum cooperatur ad materiale peccati, huiusmodi effectus proprios peccati: ergo non peccat aequivalenter, & virtualiter, nec se habet ac si peccaret; unde nullus momenti est syllogizatio Adversariorum.

Neque in hoc comparanda est peccati imperfectio cum imperfectionibus aliis physicis mortalitatis, doloris, afflictionis, &c. quia licet haec repugnent omnino Deo, nihilominus tamen secundum

G G g z pruden

prudentiæ leges magis repugnat Deo peccati malitia, difformitas, & immunditia, quod ut evidentius pateat aduerte, bene posse de Deo per communicationem idiomatum prædicari esse mortuum, flagellatum, occisum, famem, sitim dolores &c. ut de facto contingit in Christo Domino, ratione vnionis hypostaticæ humanitatis ad Verbum, & nihilominus adhuc de potentia Dei absoluta non potest contingere villo modo, ut per communicationem idiomatum prædicetur de Deo peccatum, & ideo Deus, qui vnitus est naturæ humanæ pluribus imperfectis & omnibus physicis admittit, & conseruando eandem imperfectio- nes, nullo modo potest vniri naturæ peccanti, ita ut cum tali vnione perleueret peccatum; & ideo omnes Theologi docent probabilius loquentes, & meo videri sane, & catholicè, nullo modo posse humanitatem Christi Domini vnitari Verbo peccare, aut venialiter, aut mortaliter: ergo ex his omnibus evidenter patet, magis repugnare Deo imperfectiōem peccati, quam imperfectiōes físicas, licet tam istas, quam illas implicent contradiccionem respectu Dei; quod adeo verum est, ut D. Augustinus aperte doceat ex eo solum, quod Deus amaret peccatum, etiam minimum, destruendum esse: probat hoc ex illis verbis Psalmi; non Deus volens iniquitatem es tu, quæ verba sic vertit, Deus non es tu si volens iniquitatem es, talis enim est malitia peccati, & tanta vis, & efficacia eius, ut si per impossibile caderet in Deum, destrueret ipsum, & ad nihilum redigeret: ergo licet possit attribui æquivalenter, aut virtualiter Deo accidens, aut alia physica imperfectio, moralis tamen malitia nullo modo potest.

Præterea, quia tunc etiam attribuimus Deo aliquid virtualiter, aut prædicatum aliquod æquivalenter affirmamus de ipso, quando necessarium est ad aliquam perfectiōem diuinam intelligendā, quæ sine talibus prædicatis intelligi non potest; & ideo ad intelligendam immensitatem Dei, dicimus dari in Deo extensionē virtuale & æquivalentē, quia sine illa non posset dari præsentia Dei sine discretione, & diuisione per omnia corpora, ut supra late probauimus *questione de præsentia Dei in spatiis imaginariis*. Item ad mysterium Trinitatis necessaria est distinctio virtualis, & accidens virtuale, aut per æquivalentiam necessarium est ad distinguendam relationem spiritoris actiui à relationibus hypostaticis, seu personalitatibus relatiuis, ut patet ex supra dictis.

Tandem ad actus liberos Dei necessaria est saltem tanquam conditio tum distinctio virtualis, tum contingentia æquivalenter, quia Deus ratione actuum liberorum non solum est capax prædicationis affirmatiuæ, & negatiuæ, sed etiam denominationum contingentium, & ideo concedimus hæc omnia prædicata virtualiter, & æquivalenter Deo.

Atqui, ut euidenter constat, lumen naturæ manifeste demonstrat, & fides catholica decernit, ad nullam perfectiōem Dei, aut constituendam, aut explicandam necessaria est malitia peccati virtualiter, & æquivalenter concepta, sed potius impedit omnino explicationi, & constitutioni omnium perfectiōum diuinarum: ergo etiam si per impossibile non repugnaret Deo, non esset concedenda ipsi, quia frustra superflue, ac tandem sine fructu, & sine adstrueretur peccatum virtualiter in Deo, quod abhorret ratio; quia sine urgente necessitate non debent multiplicari entitates, propter eandem rationem in

penitentia (de qua agit Alarcon *num. 11. §. 11. dem argumento equivo*) distinguenda sunt duæ imperfectiōes, alia moralis; inconsiderantiæ, seu imprudentiæ, aut malitiæ, & hæc neque æquivalenter, neque virtualiter & multominus formaliter debet concedi Deo; altera imperfectio est physica, & hæc virtualiter, aut æquivalenter seu eminenter poterit attribui Deo, si necessaria fuerit ad explicandā aliquam perfectiōem diuinam, quam necessitatem nunquam innescire potui, & ideo adhuc æquivalenter non concedo Deo, quapropter locum *Gen. 6. penituit Deum*, quod hominē fecisset in terra, & tacitus dolore cordis intrinsecus dixit, *penitet me fecisse hominem*; explico cum omnibus Patribus, & scholasticis de impropria, & metaphorica penitentia, hoc est de voluntate signi, & non beneplaciti; quibus omnibus fundamentis, ac demonstrationibus contra argumentationes Alarcon in medium efficaciter propositis, ut proposui, sine dubio labefactur tota eius sententia, & funditus ruit ab imis sedibus euulsa phantastica machina argumentationis eius.

Quis enim subito tot verborum tumultus, tot apparentium argumentorum sine maturo consilio, sine veritatis pondere, ac liberatione oculis usurpans tot verborum anfractibus, fallaciis, ac boatu plenas syllogizationes videns, non cogitet, aut sibi persuadeat, magni momenti esse, sed certe larvæ leonum sunt, non leones, exuiæ tigridum, non tigrides, picti grifi sunt, non veri; tandem cuniarum, ac puerorum terribilissima, quod ipse Auctor in toto hoc opere se facere profectus *epistola dedicatoria ad Patrem Vasquez. §. pulchre Casiodorus*, ibi: [post fata nostri Vasquez Deus in Collegio Complutensi sic prouidus, quia in sellam regni Vasquezianæ magistris nos dominos, magistros indignos æquidem collocavit, & quantos mihi spiritus sumo, & quantum superbiæ facinus ego tu Vasquez? modestiam calco, dum æquali me radiarum luce promitto, minime gentium, sed leoninis induor exuiis, quibus timeat Patroclus ego, Achilles armamenta compono, quorum splendore deuincam.] Ecce hic ad vnguem hic author exequutioni mandat hæc verba, dum latuis, & exuiis non leonum, sed argumentorum terrere contendit, quod sine dubio consequeretur, si ut inuenit animos viriles, ac robustos, pueriles timores reperisset; quam ad nostrum propositum loquutus fuit Scribanus noster, & per anagramma Clarus Bonarius in *præmio Amphitheatri honoris. prope medium*, ibi: [Iam si vernantem dictionem, plenumque luxuriantem gallicano succo intuearis, an non iures probissimæ notæ? At tu memento Gomorræi poni fuliginem intrinsecus fauillaceam, ambitione extimæ cutis cohiberi, quæ vel leui pressa actu, fumum exhalat, & facit in vagum puluerem. Ita plane omnis illa ostentabunda in veritate criminatio, si retegatur, terribimo pordore auctores suos prodit, abique in fauillas, quæ rupes mentiebatur, & minitabunda cælo saxa, nix, plumæ, bullæ repercutiunt.]

SVBSECTIO II.

Notanda quadam obiectio contra nostram sententiam ponitur, & diluitur.

Quia licet possit vna entitas æquivalere suo contradictorio, ut videtur est in identitate diuina, quæ æquivaleret distinctioni reali inter intellectum & voluntatem, & distinctio est contradic-
torium

actorum identitatis, nihilominus tamen una, & eadem indiuisibilis entitas positiua non potest esse formaliter suum contradictorium; unde nullo modo potest identitas diuina inter diuinitatem, & Paternitatem formaliter existens, esse formaliter distinctio à parte rei inter illas; unde non potest paternitas esse formaliter idem à parte rei cum diuinitate, & non esse idem formaliter cum illa, hoc est distingui ab ipsa; quia impossibile est idem esse, & non esse secundum euidens omnium maximum principium metaphysicum; atqui in nostra sententia sequitur ex eo quod concedamus libertatem formalem in Deo, eandem entitatem esse formaliter amorem, & formaliter non amorem, quia Deus ex vi suae libertatis, licet habeat contingentiam virtualem solum, nihilominus tamen est indifferens ad amandum, & non amandum formaliter per vnā, & eandem indiuisibilem entitatem: ergo eadem indiuisibilis entitas, quae est amor, est simul non amor, seu negatio amoris formaliter, quod est falsissimum: ergo falsum est dicere, Deum esse indifferenter formaliter ad amandum, & non amandum, ac proinde non dabitur libertas formalis in Deo; aut si datur, necessario incidendum est in opinionem Caietani doctoris, destrui amorem in Deo formaliter, dum vult Deus non amare, &c.

Sed hæc obiectio non probat, non dari in Deo libertatem formalem, sed solum probat, Deum non habere formalem negationem amoris, neque se posse exercere libertatem diuinam per volitionem & puram omissionem volitionis formalem, quod nos concedimus, & ideo docemus, Deum non ita amare, ut possit pure non velle sine positiuo actu, sed potius asserimus semper exerceri diuinam libertatem per positiuum actum, non solum quando terminatur ad obiectum positiuum, sed etiam quando terminatur ad obiectum negatiuum; unde libertas Dei non dicitur contradictionis formaliter, sed solum obiectiue, quia negatio non est ex parte actus Dei, sed solum ex parte obiecti, quod explicatur hoc modo dicendo, Deum velle facere, & velle non facere; hoc est velle positiuum, & negatiuum non per puram omissionem actus, & actum, sed potius per positiuum actum, terminando se iam ad negationem iam ad positiuum.

Vnde licet eadem entitas Dei possit esse positiua volitio obiecti positiui, & etiam volitio positiua negationis, seu carentiae eiusdem obiecti propter distinctionem virtualem, & contingentiam virtualem, tanquam per conditionem, & formaliter ratione indifferentiae; ut patet ex dictis, nihilominus tamen non potest eadem entitas vllō modo esse aut simul, aut successiue formaliter volitio, & formaliter non volitio eiusdem obiecti, quia non solum virtualiter, sed etiam formaliter daretur desitio, aut destructio actus positiui in Deo, quia nec per potentiam Dei absolutam possunt dari in Deo formaliter simul à parte rei affirmatio, & negatio eiusdem obiecti, ut sunt volitio, & negatio eiusdem obiecti, & non volitio formaliter eiusdem existentiae: ergo ut esset non volitio formalis existentiae, necessario formaliter deberet non esse, & deficere volitio positiua talis obiecti, quia alias simul essent formaliter volitio, & non volitio eiusdem. Quo discursu soluta manet obiectio.

Probatum nunc non posse dari in Deo puram omissionem formalem actus hac vnica ratione; quia ad diuini dominij perfectionem spectat nihil in orbe fieri, aut omitti, quod illi volunta-

rium non sit eo genere voluntatis, cuius obiectum obiectiue, & Deus quasi subiectiue sit capax, & sicut nihil est, quod diuinam possit subterfugere providentiam, aut diuinam cognitionem latere; ita nihil est, quod Deo vidente & nullo modo, neque permissiue volente, fiat, aut fieri omittatur; quod si quidquid sit aut omittitur, debet Deo esse voluntarium; eo genere voluntarij iam dicti; oportet quidem, ut sit voluntarium voluntarij perfectissimi generis; voluntarium autem per puram omissionem imperfectissime est voluntarium, & carentis solum dicitur voluntarium, quatenus illud velle potuimus, & non volumus, quod potius est carentia perfecti voluntarij, quam voluntarium dignum Deo: ergo si mundus, non esset futurus, Deo fuisset voluntaria illa carentia existentiae mundi; fuisset autem voluntaria, non imperfecte: ergo non per puram omissionem affectus: ergo potest positiuum actum, quo Deus velleret mundum non esse; quod quidem non obest libertati Dei, ad quam sufficientissimum est, quod possit velle esse, aut velle non esse mundum, neque illa necessitas habendi, aut volitionem existentiae mundi; aut volitionem non essendi mundum oritur ab obiecto, quod sua virtute attrahat, & cogat Deum, ut sic vel aliter erga illud afficiatur; neque oritur ex indigentia obiecti quasi ad non esse mundi requiratur diuina volitio, tanquam principium illius non esse, ut satis probat Albis tract. 2. de voluntate Dei, disp. 6. sect. 3. num. 3. & 8.

Sed oritur ex ipsa Dei natura, & diuino imperio, cui non potuit non subdi rerum factio, & omisso rerum, atque adeo debuit illi esse perfecte voluntaria directe, aut permissiue; supposito autem quod illi futura erat voluntaria, non potuit Deus non velle illam perfectissimo genere voluntarij, id est per actum positiuum.

Secundo probatur ex honestate, & morali rectitudine actus diuinæ libertatis; quia nihil potest imputari Deo, ut auctori, & causæ, quod non imputetur ipsi ad honestatem, & rectitudinem simpliciter, & absolute; sed negatio alicuius rei creatæ imputatur Deo auctori, & causæ: ergo debet imputari ad honestatem, indicando honestissimam rectitudinem illius.

Tunc sic, non potest aliquid formaliter esse honestum, & bonum moraliter, nisi fiat ex affectu virtutis, & motiuo formali honestatis propter ipsam, ut concors est omnium Philosophorum, & Theologorum sententia; sed pura omisso actus voluntatis non est formaliter ut sic ex affectu alicuius virtutis; nec ob honestatem propter ipsam, sed potius indifferens, cum nulla sit ratio positiue tendens in illud motiuum amando ipsum propter bonitatem ipsius, quod est omnino necessarium ad id, quod asserimus: quia pura negatio non habet rectitudinem perfectam: ergo talis negatio non potest formaliter, ut est à Deo, esse honesta, &c. ergo formaliter ut sic implicat esse à Deo sine actu positiuo tendente in motiuū aliquod honestatis formaliter propter ipsum; nam licet in voluntate humana possint dari omissiones puræ liberæ, quæ nec male sunt nec bonæ moraliter, quales sunt omissiones consiliorum, tamen à Deo non potest dici aliquid libere procedere, & non secundum honestatem formaliter, quia Deo non minus repugnat, non operari bene, quam operari male. Deinde negatio actus est indifferens ad bonum, & ad malum; ergo non potest conuenire Deo, quia quidquid Deo conuenit est determinatum ad bonum. Præterea in Deo voluntas non est potestitia ad volendum,

lendum, sed potius est actus secundus à parte rei; qui ex se est indifferens, ut terminetur ad esse alicuius rei: ergo impossibile est, ut ex tali actu oriatur non esse alicuius rei, tanquam à causa honestissima, & recta, quin perfectio illius actus comparetur ad tale non esse, cuius est causa, summam honestatem, & rectitudinem continens, nisi per modum volitionis positivæ, esse enim eam perfectionem positivam volitionem eius, cuius est causa, non oritur ex connotato quod interdum est aliquid negativum, sed ex intrinseca Dei perfectione, quæ terminata per modum causæ rectitudinem, & honestatem summam habentis ad non esse rei eo ipso est positiva volitio illius; nam causalitas quæ connotatur ut perfectio Dei sit volitio, non est necessaria ad tribuendam denominationem solius volitionis positivæ, sed solum ut ei perfectio sit talis obiecti creati, nempe existentie rei aut negationis illius.

Dices, D-um respectu aliquarum negationum non semper habere positivum actum quo velit esse; v.g. ommissio actus debiti ex præcepto in homine, quæ est peccatum, non est volita à Deo acta positivo, alias vellet peccatum formaliter.

Sed contra, quia tunc, licet Deus non habeat actum positivum volendi directe talem ommissionem, nihilominus tamen habere actum positivum permittendi illam; & sic vult Deus permittere tale peccatum, permissio autem non est pura ommissio, sed actus positivus, quod his verbis aliqui Doctores explicant, dicentes, tunc positivum non velle Deum, ut fiat malum formaliter, neque negativum malum esse ab eo, ut à causa malicie; sed illam ommissionem præcepti esse à Deo materialiter, quatenus ut causa prima generalis non concurrat cum causa secunda ad actum, & vult non concurrere actum positivum; quia ita determinatur à causa secunda libera nolente operari, vel non volente; itaque illa ommissio ut mala non est à Deo, sed à causa secunda libera & adæquate est ommissio secundum se ab utraque à Deo physice, & ab homine moraliter, quod non maiorem difficultatem habet, quam in actu positivo peccati, qui est à Deo, & à causa secunda ab hac in esse morali malo, & à prima in esse physico.

Itaque duplex actus concurret in permissione peccati, primus est, quo vult Deus dare creaturæ auxilium sufficiens; secundus, quo vult negare auxilium congruum, & uterque hic actus est positivus, & ex utroque coalescit integra permissio, quæ est rectissima, & honestissima voluntas Dei, & ideo debet esse positivus actus, quia in pura ommissione non datur honestas. Vnde maxime mihi displicent dicentes, in pura ommissione posse dari perfectam honestatem dignam Deo. Tum quia pura ommissio in Deo, ut bene advertit Alarcon si sit peccati, non est honesta respectu ipsius, quia Deus essentialiter est impotens ad peccandum, rei autem indifferens, aut honesta ut sic ommissio non potest esse honesta; quia privatio boni ut sic non est bonum, nisi ex alio capite, vel motivo honestetur: ergo in Deo non potest ommissio actus positivi boni esse honesta: imo nec in creatis, quia bonum ex integra causa; malum ex quocunque defectu: ad bonum enim non sufficit facere opus bonum, sed bene ex obiecto, & circumstantijs; ad malum autem sufficit quilibet defectus, vnde quis facit bonum opus ex malo fine, & non operatur bene, sed male; quo sequitur, ut sicut sæpe leges affirmativæ implentur per opus externum bonum moraliter, licet fiant ex pravo fine, ut patet in auditione Missæ: ita eadem

leges violantur per quamlibet ommissionem liberam talis actus, etiam puram, per quam homo meretur penam, quia non facit, quod tenetur, cum possit.

Omissio autem pura peccati est tantum bona materialiter non formaliter, quatenus non contradicit legi, & propterea non est honesta nec meritatoria positivæ, quia ex se indifferens est, ut fiat talis ommissio, ex bono fine, vel malo: ergo ut sic abstrahens non potest esse meritatoria, & honesta; nam sicut implere legem positivam, v.g. auditio Missæ ex se est bona tantum materialiter, & non est honesta, & meritatoria formaliter, quia lex impletur vera auditione Missæ, siue fiat ex malo fine, siue ex bono, & quia facta est malo fine, legem servat, & non est honesta, & meritatoria, ideo auditio Missæ ut sic non est bona, nec meritatoria eodem modo in præceptis negativis v.g. non occidere secundum se ut sic est bonum materialiter tantum; quia potest quis non occidere ob malum finem vanitatis &c. & tunc illa negatio occisionis servabit legem, sed non erit honesta, & meritatoria: ergo non occisio ut sic abstrahens tantum erit bona materialiter, & non honesta formaliter, quia de se est indifferens ad hoc ut sit bona, vel mala, quocunque modo facta servet legem negativam non occidendi.

Tandem meo videri demonstratur hæc veritas, quia reprobatio damnatorum post præcisa demerita eorum est actus positivus divinæ voluntatis; sed talis actus habet pro primario obiecto penam damni, quæ est essentialis, & primaria pena damnatorum, & pro secundario obiecto habet penam sensus, quæ comparata cum pena damni secundum quid pena, & secundaria dicitur; atqui in sententia omnium Theologorum pena damni est privatio visionis beatificæ &c. seu beatitudinis essentialis: ergo Deus non per negationem actus, aut per suspensionem, seu ommissionem illius, sed potius per positivum actum, qualis secundum omnes Doctores Ecclesiæ, & Theologos est reprobatio, terminatur ad privationem, seu negationem obiecti; & ratio à priori videtur esse quia substantia intellectualis habere potest actum positivum volitionis circa omnia illa, in quibus potest apprehendere aliquam rationem boni, non solum positivi, sed etiam negativi quod est negatio alicuius disconvenientis mali, sunt autem multe negationes, in quibus apprehendi possit aliqua ratio boni pertinentis ad iustitiam punitivam, aut ad benevolentiam alicuius ad auferendum aliquid illi disconvenientis: ergo etiam divina voluntas potest comparari ad negationes, quæ ex eius libertate procedunt sicut volitio positivæ libera, & essentialis circa illas. Si autem aliquando sola negatio producendi aliquid est sufficiens connotatum, & obiectum actus positivi, & liberi in Deo, manifeste efficitur, quotiescumque ex Dei voluntate provenit aliqua negatio, hoc est neres aliqua producat, simul etiam esse in Deo actum volitionis liberæ, circa non esse talis rei; vnde probationes Doctores asserunt, volitionem divinam esse positivam, quæ decrevit infinitas creaturas possibiles non producere, cuius rationem tribuunt; quia impossibile est à parte rei existere perfectionem intrinsecam divinæ volitionis positivæ, tanquam ad rationem actus volitionis positivæ, tanquam effectus illius, quin ille actus ab æterno fuerit in divina voluntate: ergo nulla esse potest negatio existentie rei, quam Deus possit producere, circa quam non sit in Deo libera, & positiva volitio, quia nulla esse potest negatio in qua non possit

Quæst. II. In quo consistat actus liber Dei. 423

cognosci aliqua ratio congruentis boni; esse enim negationem rei nullo modo necessitatem ad diuinam perfectionem propter fines, quos sibi Deus potest talis negationis proponere, est sufficiens ratio boni, ut voluntas velit cessare à productione talis rei. Nam sicut ea est sufficiens ratio libere cessandi ab operatione, ita est congruens ratio volendi cessare.

SUBSECTIO VLTIMA.

*Argumentum à priori contra nos positum
sectione prima dissoluitur.*

AD vltimum argumentum dico, ibi bene respondit esse illi ad vltimam replicam respondendo aliquid esse in secundo signo virtualiter additum, quod in primo signo virtualiter, & æquivalenter deficiebat, licet semper ab æterno, & à parte rei formaliter fuerit, quod in secundo signo virtualiter de nouo est, & hoc sufficit, ut prædicetur in secundo signo de Deo id, quod in primo non prædicabatur.

Vbi aduerte, Deum in indifferentia partim conuenire cum creatura, partim differre ab illa, conuenit cum creatura in hoc, quod sicut creatura formaliter ita est indifferens ut in eodem instanti, in quo determinatur per amorem, & amat per illum, poterit nolle amare; ita similiter Deus ab æterno ita semper voluit creare mundum ut poterit ab æterno velle non creare illum formaliter & in hac potestate, seu indifferentia formali consistit formalis libertas diuina, & sicut in toto illo instanti, quo amat creatura, ita formaliter est amor ut minime sit, aut in toto illo, aut in aliqua prioritate naturæ sit formaliter negatio, & carentia illius; quia ut in physicis late demonstro, non possunt esse in eodem instanti pro priori, & posteriori naturæ forma, & priuatio, quia prioritas, & posterioritas naturæ non sunt in quo sed à quo. Ita similiter formalis amor seu volitio creandi mundi ita fuit ab æterno in Deo, ut neque pro priori naturæ formaliter fuerit negatio amoris, quia libertas, & indifferentia, quæ ab æterno se determinat ad amandum non petit, imò neque potest habere prius negationem, seu carentiam formalem illius amoris, quem ab æterno habet; nam negatio, & forma, ut existant in eodem subiecto petunt necessario successionem durationis, quia simul in eadem duratione existere repugnat, & implicat contradictionem, alias idem simul esset, & non esset; quod est contra euidentissimum, ac maximum metaphysicum principium.

Exemplo declaratur, si Deus ab æterno produxisset aliquam creaturam, ut potuit, nunquam possemus dicere pro priori aliquo naturæ, fuisse negationem, aut priuationem formalem talis productionis, quia ex suppositione, quod productio est ab æterno, nullo modo potuit antecedere priuatio illius, quia priuatio si antecedit, non solum debet antecedere prioritate naturæ, sed etiam prioritate durationis, quæ ante rem existentem ab æterno non potest dari, alias non fuisset ab æterno, ut data opera demonstro in physicis disp. de duratio-
ne, questione Vtrum successum, ut successum potuerit esse ab æterno; sed Deus ab æterno libere voluit creare hunc mundum: ergo pro nullo priori præcessit in Deo indifferentia, seu libertas cum negatione, seu carentia formali eiusdem volitionis, quia hoc non petit volitio libera ab æterno neque potest compati cum illa; tum propter rationes supra

positas, quibus probauimus, non posse dari in Deo puram omissionem, aut carentiam actus positiui; tum etiam quia nulla prioritas est ut dixi, in qua possit præcedere talis carentia ad volitionem æternam. Itaque libertas, & indifferentia formalis, ut libere se determinet ad volendum, non requirit ut ante præcesserit cum carentia seu priuatione formali talis priuationis, ut videre est in Angelo qui libere voluit, imò secundum probabiliorē opinionem in primo instanti suæ creationis potuit peccare, & nihilominus in eodem illo primo instanti, nunquam præcessisset cum priuatione, seu carentia illius libere volitionis, siue bonæ, siue peccaminosæ.

Solum igitur indifferentia, seu libertas formaliter petit, siue ab æterno, siue in instanti, ut ita velit voluntas, ut poterit velle oppositum, quod sufficit ad exercitium propriū, & rigorosum libertatis & in hoc conuenit libertas creata cum increata; differt autem libertas creata ab increata, in hoc quod increata (ex eo quod ab æterno decreuerit, & non possit de nouo decernere in tempore, ut supra demonstrauimus) nunquam habuerit oppositū actum huic, quem nunc habet, neque habuerit carentiam formalem illius, libertas autem creata, quæ in tempore incipit amare, si talis inceptio non sit in primo instanti suæ creationis, siue dubio habuit carentiam formalem talis amoris; si vero, ut dicitur de Angelis, libere voluerunt in primo instanti suæ creationis, etiam conueniunt cum Deo in hoc, quod nunquam habuerint indifferentiam cum carentia formali illius primæ volitionis; Itaque hoc quod est habere, vel non habere prius priuationem, quæ actum positiuum per accidens est ad formalitatem libertatis; formale autem illius est, quod ita se determinauerit ad vnum, ut ad oppositū poterit pro suo libito determinari, quia hoc exigit dominium seu indifferentia formalis circa suos actus, quæ sunt prædicata formaliter constituentia libertatem.

In alio autem maxime differt libertas creata ab increata, & indifferentia vnius ab indifferentia alterius, quod liberas increata ex eo quod immutabilis sit, ita physice, quæ moraliter ex suppositione quod semel ab æterno habuit decretum creandi hunc mundum, & conseruandi illum &c. nunquam mutatur sit tale decretum, ut iam supra explicui, quod aliter contingit in creata libertate, quæ quotidie mutat decreta, ex quibus omnibus euidenter solum manet argumentum à priori aduersariorū deceptioque esse illos dicendo indifferentiam Dei aliquando esse sub negatione actus positiui, quem semel habet, ut liquet ex dictis, quæ sufficiunt ad lucem offundendum sufficientem huic tractatui de libertate diuina, quæ æque difficilis est ac necessaria ad exactam doctrinam huius disputationis de voluntate Dei.

QVÆSTIO VLTIMA.

*Vtrum Deus concurrat cum causis secundis
aliquid imprimendo ipsis præuium ad
actionem illarum.*

SECTIO I.

Sententia aduersaria ponitur.

Prima sententia est Thomistarum, asserentium Deum concurrere cum omni causa secunda, siue libere operanti siue naturaliter aliquid præuium imprimendo in ipsam.